

**Oratio Harveiana in aedibus Collegii Regalis Medicorum habita, die Junii
XXIX, MDCCCL / a Jacobo Arturo Wilson.**

Contributors

Wilson, James Arthur, 1795-1882.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Londini : [publisher not identified], 1850.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uftzqbmv>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh, where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

END
ORATIO HAR

DE REGALIS

COLLEGII REGALIS

HARVIA

DIE JUNII XXIX,

A JACOBO ARTURO V



LOXDIXI
Nove

ORATIO HARVEIANA


IN AEDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

HABITA,

DIE JUNII XXIX, MDCCCL.

A JACOBO ARTURO WILSON, M.D.



LONDINI.

MDCCCL.

17 JULY 1968 - 01000

R35357

ORATIO HARVEIANA.

ANNO, quo nullus post hominum memoriam funestior, jam exacto, vos iterū, Præses et Socii, Harveius ille noster dilectus in festum suum æstivum haud immemores convocat; iterū in amorem et amicitiam, scientiæ causâ, ut pater liberos, amanter vos hortatur; necnon in scientiam experientiæ viâ solâ adeundum esse, vos, ut philosophus discipulos, fideliter admonet. Ad hunc finem ipsius jussu institutæ, et veteri nostro curriculo de anno in annum repetitæ, ex suis ipsius verbis sit, pace vestrūm, hujusce orationis exorsus. Attendite igitur, Socii, hospites, et, quicunque huic festo favetis, fratres medici! nec vereamini, pro hâc saltem vice, aures adhibere in verba, non mei Londinensis, lingua non meâ balbutientis, et Latino pede claudicantis, sed Anglica, Harveiana, ex ore suo ipsius, octogenarii, et, quasi e sepulchro, pro se et suis in omne ævum loquentis.

“ To maintain friendship, there shall be at every meeting, once a month, a small collation, as the president shall think fit, for the entertainment of such as come; and, once in every year, a general feast for all the Fellows; and on the day of such feast shall be an oration, in Latin, by some member, to be appointed by the President, two eldest Censors, and two eldest Elects, so as not to be appointed two years together, in commemoration of the benefactors by name, and what in particular they have done for the benefit of the College, with an exhortation to others to imitate, and an exhortation to the members to study and search out the secrets of nature, by way of experiment; and for the honour of the profession, to continue mutually in love.”

O lepidum, præclarum, et ter dilectum caput! Hâc voce tuâ amabilis dum aures nostræ adhuc personant, quâm te, ex cordis motu, per sanguinis affluxum, in pectora nostra recipere videmur! Te talem nos non diligamus, non admiremur, non omni ratione præponendum putemus? Id unum tibi objicio, quòd, natu Anglus, in hâc Anglorum concione, pro te, stirpe, moribus, indole, (si quis unquam) Anglico, de medicinâ et medicis Anglicis hanc orationem aggressurus, linguæ alienæ, nec meæ, nec tuæ, compedibus obstrictus sim.

Profectò, Socii, piget me quâm vehementer quòd in foro Londinensi Romanas has agere partes, jam in provectiore ætate, et sine ullâ in hoc genere dicendi exercitatione, designatus fuerim. Attamen, quâm libenter (si ita inter nos de more esset licitum) verba nostra, quotidiana, spirantia, viventia, natali jure propria, materno usu consecrata, ad Harveii votum explendum, in vestram indulgentiam et ex animi copiâ commendarem! Pro tarditate et debilitate hujusce mei oris in linguâ adoriendâ quæ semper mihi in deliciis legenti, perdifficilis et in fastidio loquenti fuit, veniam a singulis vobis, quantam impetrare fas sit, libenter quæso. Habetis confidentem reum. Neque id vellem a vobis putari, quòd, ex hoc concursu hominum literatissimorum, mihi Ciceronis linguam aggressuro ulla præter modum sollicitudo inciderit, quasi, hisce utens tam limatis judiciis, minore indulgentiâ condonandus essem. Immò etiam, ex hâc frequentiâ judicum lectissimorum, fiduciam, et, qualis cunque sit, dicendi copiam recipere videor.

Quo magis enim quisque ingenio et studio in litteras humaniores est proclivis, eo minùs mihi in his molestiis luctanti favere recusabit. Nemo, nisi non expertus, se in tali labore validum profiteatur. Scriptores et oratores Romani mihi multò cariores et multò magis admirandi sunt, quâm ut eos e pusillâ meâ ingenii facultate æmulari in propositum veniat. De “Latinitate”, itâ dictâ, si ulla sit, aut nulla sit, cuius compos esse videar, quid mihi, inter Londinenses Londinensi, curæ est? In hâc meâ pro Harveio magno allocutione, id primùm respicio, ut verum sit id quod dicam,—ut quod sentiam sit sincerum. Id maximè vereor, ne quod dicam perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Faustum sit mihi, utpote trepidanti, omen, quòd non primus ego Wilsonus coram

hoc collegio orator pro Harveio adsto. Nam paucis diebus post Harveii excessum, verba hæc, inter alia quæ in laudem Harveii Georgius Entius, amicus ejus conjunctissimus, conscripserat, Wilsonus, Socius et doctor, recitavit: “Fessâ tandem fractâque senectute, funeri suo propinquus, rerumque aliarum omnium securus, pulsuum suorum rhythmos explorabat; ut qui vivens valensque vitæ exordia, ejusdem progressus, alios docuissest, ipse met jam denascens mortis præludia addisceret. Tandemque octogesimum annum emensus, qui tertius præteriti mensis erat, occubuo sole, placidissimo animo mortalitatem exuit, fatique necessitatem explevit.” Wilsonum illum Socium, annis abhinc ferè ducentis, de Harveio vix id temporis mortuo, coram affluenti medicorum frequentiâ tali voce perorantem, quanta gratia, quantæ lacrymæ insecuræ fuerint, quis nostrûm etiam nunc eadem verba auscultantium non ex corde sentire videtur?

Favete auribus, favete adhuc animis, sodales et Socii! Alterum Wilsonum, Harveianæ indolis, si quis unquam alias, concium, fortem, mansuetum, generosum, veritatis præ cæteris amantissimum, Harveio ipsi studiis anatomicis haud imparem, de sanguine et cordis motu, ut de corporis totius fabricâ et usu per annos triginta prælectorem et scriptorem, Hunterii Gulielmi et fratris ejus Johannis alumnum, Baillieo nostro benefactori familiarem, et laborum consortem, Jacobum Wilsonum, chirurgum, his recentioribus temporibus præreptum, memoriâ vestrûm plurimorum adhuc lugenti expetitum, ante ora omnium, gratus, et quò ad hoc superstes, lætus, repono. Favete ejus nomini, præsertim hoc die, Socii et medici fratres! Eorum enim omnium, qui anatomiam in hoc Angliæ regno excoluerunt, nemo per longiorem seriem annorum, ad cumulandam Harveii nostri laudem magis sedulò et majore fructu enixus est.

Mi Pater! Videor mihi videre patrem meum, eo habitu vultûs, eo vestitu quo vivebat, in Lyceo Hunteriano, coronâ discipulorum, immò et virorum in medicinâ principum,—nam a plurimis semper audiebatur,—die kalendas Octobris circumsessum. In visum et auditum interiori animi sensu jam nunc recipere eum videor, sublato fronte, oculis, præ amore et reverentiâ, cùm humidis tum fulgentibus, dum de Harveii in-

genio, fide, constantiâ loquebatur, cor omnium auscultantium, ut suum, ex imo suscitantem.

Ignoscite, Socii, cui filio res, locus, dies ipse suppeditat, si, orans pro Harveio, de patre, viro Harveiano, quod nemini obstat, paulò liberiùs locutus fuerim. Hodie de mortuis, pro honore, agitur. Sed ne diutiùs morer in ejus laude, quæ mihi soli in hoc concursu est carissima, vestra expectatio me jampridem, etsi indulgenter, admonet.

De rebus hoc proximo anno gestis et factis, (orationes enim, ut hæc quæ nunc habetur, ab Harveio in perpetuum institutæ, Collegii nostri quasi annalia et fasti esse videntur), e quibus aliquid lucri vel damni, honoris vel incommodi, communitati nostræ acciderit,—de statu, progressu, et futuris artis medicæ fortunis,—de morum inter nosmet-ipsos disciplinâ et consuetudine, a me pro meis viribus dicendum est.

Respicite, igitur, in annum vix præteritum, vos, Præses et Socii ! qui mecum huic solenni orationi inserviatis ! In triviis—per vicos—per aperta rura—apud ipsas Baias, qui pavor ! quantus luctus ! quæ frequentia funerum ! Quæ hæc est immanis morbi species ! hæc mortis imago nova ?—Annus nefastus !—Collegio nostro, præ cæteris, heu ! sine gloriâ memorabilis. Annus, in quo, huic urbi insolitâ et sævissimâ peste diu ingruente, tum postea universum Angliæ regnum vastante, Collegium hoc Regium Medicorum Londinensium, neque a senatu, neque a consiliariis reginae intimis, neque a prætore regio ad res domesticas administrandas designato, ne unâ quidem vice vel voce, in auxilium salutis publicæ vocatum est ! Neque in curiâ, neque in foro, prævalente morbo, vox nostra audita est. A nullis nostri periculum factum est consilii !

Per cor et sanguinem Harveii ! Quid est, si hoc non contumelia est ! Nec satis erat hanc aciem nostram medicorum instructam, in morbo insolito oppugnando, ne ad succursum quidem adhibere,—nos sic negligere, et sic negligendo pro nullis efficere ; quinetiam ex adverso, nobis, Apolline duce, in pestem dimicantibus, ad Mercurii fabri officinas in vico proximo Aulæ Candidæ constitutas, signa, si operosa et sanitaria, certè non medica, consiliarii regii, ad hoc delecti, sustulerunt. “ Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæque sententiæ. Non enim consiliis

solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces, multi dubitabant quid optimum esset, multi quid sibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam quid liceret." Post hanc tam turpem immeritamque repulsam, post hanc quasi ignominiæ notam parietibus nostris auctoritate publicâ affixam, nunc iterum ad Harveii festum in hâc concione domestica congregati, nos invicem et ex corde gratulemur, quod, dum pesti oppugnandum erat, domus nostra ab ipsis suis nullam interiorem maculam suscepit.

In his molestiis, nec sibi nec nobis sociis suis defuit Præses noster Parisius; qui, si Parisiis ipsis Galliæ juvenis medicinæ præfuisset, ab eo concionabulo, cui salus publica permissa fuit, non magis alienatus esse potuisset. Consiliarios illos regios Mercuriales, doctorum in medicinâ partes agentes, ultrò, pro dignitate hujusce Collegii et suâ, decenter compellatus est; omne quod consilii et opis apud nos erat, ad morbum tractandum vel præcavendum, id nos properè et libenter in commune allatueros promissum dedit. In concionem, sub adventum morbi, nullâ morâ interpositâ, convocati fuimus,—ad exquirendam ejus rationem plerique e nostro numero delecti sunt, qui experientias suas e nosocomiis Londinensibus redundantes in unum afferrent,—immò etiam, qui per litteras passim in provincias missas, omne, quod in promptu erat, ad omnium medicorum usum colligerent. Unusquisque nostrum, libet dicere, ultrò et pro virili suo perfunctus est officio.

Neque id solum de medicis hujusce nostri ordinis affirmo, sed etiam de omnibus in omni genere per universum Angliæ regnum medicinam exercentibus. Profectò de nobis ipsis in medicinâ doctoribus vel omnino tacendum est, dum fratres nostros, quâvis sine doctoratu, medicos respicimus, in nosocomiis, in carceribus, in ergasteriis, in vicis et angiportibus omni illuvie inquinatis, nocte dieque, per menses aestivas et autumnales, decies vel centies pro unâ vice nostrâ in peste oppugnandâ occupatos. Quæ fortitudo! Constantia, fiducia, quâm admirandæ! Quæ vigiliae! Quanta dispendia et rei et virium! Quæ incuria sui!

Pro hâc ordinis nostri medici sedulitate in laboribus, quâm sâpè sine mercede vel minimâ susceptis,—pro tantâ amoris et officii perseverantiâ

in maximo civium discrimine, annon grata eorum mens esse debet, quibus reipublicæ nostræ cura committitur? an tituli, honores, imagines, laus publica, tali virtuti non convenient? Quæret de his rebus, annalia hujusce Angliæ perlegens, aliquando quispiam? Prandia, orationes, "testimonia", inter omnes ordines ob facta, dicta, merita et immerita omnia, ob res gestas vel non gestas, ex omni parte invicem aguntur. Ob pugnas, trucidationes, rixas theologicas, ob cantilenas, ob aurum e ferro viis publicis instrato impudenter conversum, hujus vel illius est famæ recordatio. De medicis, in se pro salute communi mille molestias et vitæ pericula suscipientibus, in fastis publicis nulla fit mentio! Sursum corda, Socii! Collegium nostrum Londinense, si, majestate per alienos læsâ, hoc proximo anno aliquanto minùs regium fuerit, attamen in rebus suis, auctoritate suâ, est nunc vel maximè medicum. Sursum corda! Quot modis contempti, spreti! Repudiati, tandem repetemur.

Quòd, ingruente morbo, materia ad auxilium consiliariis regiis de salute publicâ sollicitis abundè apud nos suppetisset, indicio sint eorum nomina, quos, nostræ societati hoc proximo anno præreptos, heu! frustrà quærimus. Vespere quinto Idus Octobris, anno huic superiore, primus ad hasce ædes, nobis tum primùm in concionabulum convocatis, de morbi in Divi Thomæ nosocomium invasione, archiater ejus hospitii, Henricus Burtonus nuntiavit. Ultrò, et inter primos, æstate sequenti, morbo jam tum inveterato se opposuit; inter primos, Deo sic volente, morbo occubuit. Et vitæ et mortis exemplo sit nobis ille frater noster delectus,—cùm in omni tempore, virtutibus, industriâ, ingenio, a nemine obliviscendus, tûm, hoc præcipuè die, merito atque optimo jure suo, in pathologiâ sanguinis exquirendâ, cum Harveio ipso celebrandus. Nam sanguinis cursum, auctore et duce Harveio, dupli viâ insecutus, attigit, et ratione et oculis, lineam istam cœruleam margine gingivarum circumscriptam, quâ teste, venenum Saturninum in venis et visceribus penitus receptum quasi in conspectum medici proponitur. Profectò, ex hâc tam simplici ratione rei, Henricus noster monumentum sibi exegit, quamvis e plumbô, ære perennius. Inter nos medicos de arte nostrâ naturam ritè exquirentes, metallorum nullum est vulgus, nulla e splendore nobilitas.

Prout hic, sic ille alter, quem e nostro numero amissum hodie lugemus, per vires ingenii et industriæ insitas, materiem naturæ, ab aliis rejectam vel minimè expeditam, sibi et suæ famæ inservire coëgit. Praeclarus hic plumbō, *prout* ille urinâ! Ad scientiam excolendam, tanta est ex rebus omnibus laboris occasio et copia. In materiâ morbi indagandâ, lex nostra philosophiæ recens haud minùs quâm avidè de minimis curat. De philosopho illo sexagenario, menses abhinc tres adhuc vivo, sedulo, operoso, quomodo, nisi ut de philosophiâ ipsâ, licet loqui? In foro et triviis hujusce nostræ Romæ, dum ad clientelam suam incedebat, quis et qualis, si non philosophus, ante ora hominum extare visus est?—gressu properante, sed tacito,—vultu demisso,—habitu humili,—vestitu quâm modesto!—etiam in fumo, pallore candidus,—ad strepitum surdus,—ad opes non magis quâm modicè attentus. Me semper pigebat,—et, inter colloquia nostra, annos abhinc viginti, sæpe eum sic alloquebar,—quòd, in succis animalibus a sanguine excretis tam assiduè et tam feliciter versatus, a sanguine ipso, vivo, universo, omnia omnibus ministrante,—a sanguine non solùm passim recipiente, sed etiam passim agente, quasi animo aversus foret.

Grata et constans sit Proutii nostri apud nos memoria, non solùm quòd in pathologiâ chemicâ ferè primus viam medicam instituerit, sed quòd alios ad se ipsum æmulandum viribus ingenii sui suscitaverit. Non omnis, Socii, non omnis ille noster morietur! In hæreditatem ejus in studiis pathologicis acuminis et industriæ, ne dubitetis quin alii de die in diem sint successuri. Apud nos, consensu omnium, jam dudum salva *res* est. Uno, qui volitavit per ora hominum, pennis in altiùs elatis, remoto, non deficit *aureus* alter *avis*.

Amici et sodales ambo, haud ampliùs in hoc cœtu nostro visendi, inter gemitus et lachrymas valete! Coronas vestras laureatas, heu! atris lictoribus comitantibus, hoc solenni die in domum vestram reporto,—insignia artis vestræ ad effigies Harveii, Sydenhami, Bailliæi hic in perpetuum repono.

Salvete! ambo, Harveio jubente, idem ego vos iterùm compellor. Salvete! ob beneficia in ordinem et domum nostram iterùm recepti, et, eo titulo, hoc festo die gratâ voce commemorandi! Laus, honor,

scientia, apud nos, hæc sunt in loco divitiarum,—benefactores e nostrūm numero præ cæteris illi, qui virtute, ingenio, doctrinâ, industriâ, sibi et huic societati suæ gratiam conciliant, existimationem comparant! Omnibus igitur, qui fundos, ædificia, supellectilem, qui aliquam argenti vim ad nostrum usum aliquando contulerunt,—vel qui, veræ medicinæ scientiam excolentes, in hâc nostrâ vitæ ratione, quotidianâ, assiduâ, laboriosissimâ, humanitatem animi, et mores suos integros servare student,—omnibus, qui honestè pauperes vivere optant, potius quām homœopathicis, hydropathicis, mesmericis, etiam ad normam empiricè exquisitis artibus divitias parere,—omnibus his bene moratis sociis nostris, quamvis spe humili, et opibus præcisis, gratias hodie ut benefactoribus, Harveio ipso indicente, pro debito et solenniter agamus: Bene fecerunt, qui bene vixerunt.

Ne vereamini, Præses et Socii, ne pro consuetudine hujusce rostri, Linacrum, Caium, Hamæum (et quot, longo ordine, alias!) patientiæ vestræ oppositurus sim. De tot et iam diversis viris, quomodo, ut quisque mereatur, et sine invidiâ, loqui possum? Eximii omnes pro hâc vice salvete, et valete! Cum tanta sit vestrūm fama, quis dubitet quin, etiam me tacente, in biennium fuerit superstes? Quāmvis non nominatim et singulatim in vota nostra more solito invocati—attamen, et nunc et semper, benefactores omnes, quicunque fueritis, adeste nobis, ad omne memoratu dignum grato animo intentis, et ad veram scientiam per experientiæ vias enixè simul incedentibus.

Quām frequenti et quām liberali manu in domûs hujusce usum et honorem de anno in annum a suis effusum est, e parietibus hisce ipsis patet, qui, nostris propriis sumptibus extracti, gratias, ut videtur, agere gestiunt. En coram vobis, oculis sublatis, Bailliæ munificentia per totam interiorem domum deposita!—in re anatomicâ, opera quām multa et varia!—manu ipsius, se ipso teste, et patris mei (haud temerè loquor), illum pro amicitiâ subinde adjvantis, elaborata. Quanto dispendio argenti et laboris exquisita, et adhuc conservanda! Sed, quod ad munificentiam attinet, quid moror in hoc vel in illo, inter sociorum nomina? Per longam annorum seriem, nemo fuit e nostrūm numero qui non censem gravem in se suscepit, quò res publica nostra non majus acciperet damnum. Ut

ratio et summa munificentiae in domum nostram collatae gratae dignoscantur, tabulae istae auratae theatri parietibus affixa perlegendae sunt. Quot nomina illustria! Quot pecunias operosè partas, e privatis commodis desumptas, et in usum communem ultrò collatas!

Satis, superque, in hujusmodi antehac orationibus, ut mihi videtur, laudationis fuit,—parùm fortasse laudis. Ut pro laude ex hoc rostro valeat laudatio, sit praeter laudationem aliquid semper in proposito; sit in laudatione modus;—ad mensuram et pro ratione laudis, de eo quod non est laudandum sit etiam dicendi copia;—neque in his fastis Collegii nostri conservandis, absit, invidiae metu, illa modestiae et pudoris magistra, censoria severitas. Absit, procul absit ab eo, qui ex Harveii jussu hoc solenni die vos alloquitur, omnis assentatio, non modo in vivos, sed etiam in mortuos! Ambitiosi, vafri, gloriosi, heu! pietatis etiam simulatores, quorum vita adhuc viventium typis publicis in exemplum nobis ante oculos proponitur, hoc saltem die, hic saltem loci sine laude discite vivere!—Blanditiæ, officiosæ sedulitates, quibus inhiantes magis magisque de die in diem sufflamini, non mei pro Harveio orantis haec sunt officii. Signa ærea, ad pretium de semetipsis ex ære computandum,—“spirantia” ligna, ad ligneas suas effigies a solis radiis expressa, funambuli in quovis genere vel medicinæ vel chirurgiæ eximii, per universum terrarum orbem, oblectamento suo, ut libeat, diffundi curent,—immò etiam vitas suas cum pecuniariarum rerum ratione implicitas chirographo publico in aures dictitent. De hujusmodi singulorum laude et famâ,—de “testimoniis” ita dictis ob beneficia in semetipsosa viris prosperis collata, quem nostrum non usque ad nauseam his temporibus pertesum est! Bono animo sis, quisquis es, orationi huic qui adsis! De mortuis hodie est quæstio. Sit nulla inter nos famæ opinio, nisi quæ sepulchro inverteravit. Fautores, satellites, assentatores, omne id genus molestum caveat id, de quo nunc agitur. Harveio festum indicente, haud vivos depascimur! De mortuis, ita aiunt, nil nisi bonum! immò, ex hac ipsa sententiâ, nil nisi verum; nam quid est bonum, si non sit verum? Excidat potius ex ore mihi lingua, quam ut laudi hominis illius nequissimi, quo regnante, Collegium hoc nostrum institutum est, vel uno verbo inserviat. Quid? “illud funestum animal, ex nefariis stupris, e civili cruento, ex omnium

scelerum importunitate et flagitorum impuritate concretum," eodem loci et temporis vestigio, quo animæ niveæ Harveium nostrum, sapientiâ, doctrinâ, benevolentiâ, omni laudis genere præstantem,—eodem die et spiritu, hunc civem philosophum, Deo carum, a suis veneratum, et illum regem tyrannum, in fastis Angliæ semper execrandum, coram vobis in lucem proferrem, et vestro favori commendarem?

In Harveii nomine continetur omnis omnium fama eorum qui Collegio nostro benefecerunt. De Harveio igitur solo, cùm exorsum, tum etiam exitum oratio hæc mea Harveiana, pace vestrâ, ducat.

Eorum, qui Collegio nostro maximè benefecerunt, unus est, Socii, præter Harveium, quem non cum Harveio hoc die singulatim nominare, est de Harveio ipso tacere, et quasi aliquid gratiæ famæ ejus detrahere.

Inter Lumleium nobilem, et Harveium ex instituto Lumleii in medicinâ et chirurgiâ prælectorem, quis nescit quâm arctum est humanitatis et ingenii vinclum?

Suadente Caldwallo, Lumleius veræ scientiæ intentus prælectiones ex suis sumptibus instituit. Harveius, id temporis nondum natus, annis vix quadraginta elapsis, prælector Lumleiensis eligitur. Res prælecta est sanguis per corpus e corde circumactus! Lumleio nobili, senatori, in civitate principi, post longa æva, eorum qui restant, prælectore ejus Harveio quis nunc est conjunctior?

Immò inter nobilem et medicum est in futurum per sanguinem ipsum cognatio quædam et quasi affinitas.

Tituli, æra, imagines, quò nunc tibi, nobilis noster, reponuntur? Tui in memoriam, inter tuos, quid denique restat?

Hic saltem loci, apud nos medicos, quæ nobis in custodiam tradidisti, sub tutelâ nominis tui religiosè conservantur, et ad gloriam tuam, quò magis usitata, magis redundant.

In Harveii domum nobilitas tua (quid melius aut aptius?) se tandem recepit. Laus, virtus, honor tuus sunt nobis pro nostris. Sis hospes in perpetuum, inter nos medicos Londinenses, quos, amantissimus artis et scientiæ nostræ, honore afficere haud dignatus es! Lumleianis viris, si adhuc extent, bene instituti, natu nobiles, et ingenio ad medicinam veram proclives, ubi est nobis ad conveniendum locus? Aut hæc,

aut nulla domus patet. In Curiâ enim de Medicinâ est annua taciturnitas,—silentium perpetuum. Vox nostra in foro nunquam auditur. In aulâ regiâ, ut videtur, vix publici juris digni censemur.

Quod ad optimates hodierni temporis nostros attinet, vel natu, vel divitiis, civitatis principes, senatores, equestres, magistratus,—heu! etiam sacerdotales,—si in veram medicinam conjurati essent, quomodo majoribus damnis, aut magis contumeliosè ordinem nostrum afficere possent?

Profectò, ignorantia, arrogantiâ, et negligentia virorum qui circumstant forum, ex omni parte obruimur;—ignorantia, plenâ dedecoris et risûs, et, cum proterva sit, in rebus medicis minus ignoscendâ;—arrogantiâ, quae etiam in morbo sibi assentationes et patrocinium quam avidè captat, —medicum liberum, liberalem, sincerum, in propinquâ vix vel ægrè ferens; servum, libertum, fautorem, empiricum, quam libenter!—negligentiâ, cui nulla hominum solertia comparanda est,—cui nulla patientia ad sustentandum sufficere possit! Certè equidem, nihil est tam molle, tam tenerum, vel exiguum, quod exilitati optimatum plurimorum nostrorum ingenii, in Anatomia, Physiologia, Medicina, adæquari potest; nihil tam ingens aut crassum, quod eorum ignorantia et credulitas non facilè superent. Nullus sit invidiæ metus, quin hanc alienationem principum, Victoriâ Reginâ, in civitate nostrâ, virorum, a nobis et studiis nostris, cum Lumleii et hominum illius ævi ejusmodi benevolentia, ex adverso comparem. Res patet; de die in diem crescit, et se petulanter pro sapientia jactat. Typis publicis quotidianis exprimitur. “Tempora” proclaimant mores. Se ultrò in quæstionem tradit.

Hic comes, ille dux, hujusce rei uterque et dux et comes, nosocomium, cuius, ipsis dicentibus, medicina et chirurgia infinitesimæ vel proximæ nihilo futuræ sunt, epulis datis, inaugurant. Ad nomina præsidum, nobilitate insignium, more apud nos Anglos philosophorum inveterato, quantâ frequentiâ concurritur! Mensæ, pares impari appositæ, instruntur; in sedes, “*ὅμοιος πρὸς ὅμοιον*”, convenitur; locus est etiam pluribus, heu! pietas, heu! prisca fides, umbris sacerdotalibus! Cibus, qualis et quantus, ex quâ ratione, sive infinita sive infinitesimâ, distributus fuerit, (absit hoc omen a nostris jam incalcentibus epulis!) quis hic curat discere? Gloria nobilitatis superiori mensæ præsidentis in

capita convivarum homœopathicè, et per stillicidium, deorsum infunditur, et a singulis, infinitesima cuique, pro suâ recipitur. Pecunia (quàm vellem dicere, infinitè infinitesima !) heu ! bona, solida, ad plurima millia sestertiūm conraditur. Prandii et post-prandii recensio, finitis rationibus, computatur. Medicina et chirurgia infinitissimæ, pro futuro, promittuntur. Gratiæ infinitæ invicem aguntur. In domum disceditur. Apud conjuges et liberos de pacto singulis gratulandum est.

De his ineptiis quid magis severum dici potest, quàm ipsas ineptias sine commentario enarrare ?

Prætor ille urbanus, qui dat natalitia Hahnemanni in tabernâ,—hydro-pathicus iste nobilis Belgraviensis, qui Apollinem esse medicum omnino negat,—qui Aquarium ipso sole præstantiorem ad morbos curandos vehementer affirmat,—quid minus merentur quàm animadversionem seriam ab illis hominibus scientiæ veræ studiosis, et gnaviter operosis, quorum vitæ et doctrinæ tam petulanter, tam insulsè insultant !

De mulierculis istis protervis, omni insolitæ methodo vel medicinæ, vel chirurgiæ, vel artis obstetricæ se confestim immiscentibus,—pro hoc vel illo obstetrico in deliciis habito, contra Harveii doctrinam, mores, et innocentiam, per publicas vias impudicè clamitantibus ;—de duce hoc vel illo,—de comitibus, senatoribus, equestribus, in mesmericarum vel obstetricarum istarum impudicarum muliercularum clientelam se et conjuges et filias suas tradentibus,—de episcopis mesmericis, de archiepiscopis archi-mesmericis,—præ fastidio, præ pudore, præ religionis studio liceat mihi medico saltem inter medicos hoc die tacere !

Nec præter rem et quæstionem orationis hujusce hæc alienatio optimatum nostrorum a doctrinâ et studiis Harveii ab aliquo medico censeatur ! Ex hâc in re medicâ pravitate ingenii, plurima illa labes conditionis et quasi interitus auctoritatis nostræ. Hinc illud discidium inter nosmetipsos semper renascens, quando de re communi consulendum est. Dividimur et imperamur; immò a quibusdam subdolis et ambitiosis nostris dividimur ut imperemur. Hinc illa injuriæ vis nunquam defessa, nunc huic, nunc illi ordini nostro, ob petulantiam, ab aliis illata. Hâc illuvie, in nos et nostra studia tam diligenter conversâ, non modo externè foedati in risum vulgi exhibemur, sed etiam

interiorem et graviorem labem per ipsum spiritum et venas nostras recipimus. Inter laudum omnis generis avidos, laudibus omnino caremus.

Sunt inter nos, qui honestam laudem quærentes, ob animi et ingenii infirmitatem in probrum alliciuntur. Sunt etiam, qui, de verâ laude nuspian solliciti, ex hâc in rebus medicis profligatâ principum nostrorum licentiâ, occasionem quæstûs sibi sedulò exquirunt,—et sese perniciosæ isti otiosorum genti, a quibus ars nostra tam impudenter affligitur, clientes inhonestè commodos libenter præstant. Parasitaster ille parvolus, assentando, serviendo, dignitatem artis suæ tradendo, seipsum vendendo, ad honores ita dictos, ad divitias, etiam ad titulum in re civili omnium imum et postremum, medicinâ fretus, quâm sæpè obrepdit! Principibus enim quibusdam nostris, Gnathones, Balliones, Phormiones, maximè cùm medici sint, suppeditant. Neque in moribus, neque ingenio, neque etiam in colloquio, si modò faciles simus, nos fastidiunt,—fide et severitate planè.

Heu! quot modis et quâm facilè, per artes non suas, a medico sic volente in principum gratiam itur! Anne macula ista Romana servitutis tam inveterata, tam inusta nostro ordini est, ut etiam nunc, inter nos liberos Anglos, se aliquando in lucem proferat? An aliter quâm servire est, quod sub lege “de pauperibus medendis” dictâ, a prætoribus rusticis et suburbanis, hos annos viginti, indignè patimur? An fratres nostri medici, copiis regiis navalibus adscripti, qui tam insulsâ, tam pertinaci arrogantiâ ab iis qui res publicas curant circumventi, per maria orbis universa indignatione et spei abjectione marcescunt,—an illi, quoad medici, pro liberis censendi sunt? Neque id mihi objiciatur, quòd lex illa “de pauperibus” non nostri intersit,—quòd incommodis navalibus nos doctores Londinenses nullo modo afficiamur. Pro universo ordine medicorum, in tali imperii acerbitate, ab omnibus dimicandum est. Arma ipse Harveyus ministrat. Experienciâ, ad verum inter omnia pericula indagandum et extrahendum, nos præcipue instruit;—amore et amicitiâ, ad veri inter nosmetipsos communitatem nos indui jussit,—immò etiam fortitudine, pro amoris indicio et in amicitiâ tuendâ—“Courage to make love known.”

Ignaviâ, sit sine invidiâ verbum, Socii,—ignaviâ, cui nomen modestiæ

supponitur, jamdiu tabescimus et perdimur. Sit fortis, constans, animosus ille, cui in rebus medicis laus vera ambitioni est! Quid, si Harveius ignavus, si minùs quām audax fuisset? Quid scientia, quid ingenium, quid benevolentia ejus, sine fortitudine animi valuissent? Sit igitur omnis veræ laudis ad Harveii gressum in medicinâ sectator, cùm in vitæ et studii ratione suscipiendâ sapiens, tūm in eâ susceptâ fortis: fortis, non solùm ad inimicitias et simultates malevolorum repellendas,— sed fortissimus adversus se et suos, assentatione et vanitate prævalentibus;—fortis, ne illecebris otii, ne falsâ studii et agendi specie, a disciplinâ ad veram doctrinam pertinente alliciatur; ne a nobilitate urbis ad nimiam cognitionem devocetur.

Se in optimatum nostrorum gratiam receptum fuisse, id nullus sibi laudi medicus apponi censeat; pro nummatione, quantum quisque valeat, ad computandum facilis est ratio,—quāmvis etiam in re argentariâ a nostris studiis tam alienâ, tanta est complurium invidia, ut particulam penè vicesimam honorarii per longa æva præscripti in sua commoda a nobis soleant divertere. Quām invitus hæc verba profero, Socii, a nullo dicendum, mihi soli sentiendum est. Contumeliam,—ut scitis, qui me noscitis,—non damnum insecto, ne in posterum incidat.

Pro dignitate et otio medicinæ veræ abhorreat quisque, in eâ consequendâ, a ratione negotii et quæstûs in rebus frumentariis illâ mutabili, sub quocunque nomine et prætextu ad merces nostras ingenii, doctrinæ, et experientiæ comparandas translata fuerit!

Etiam medicis suffragantibus, maxima laus persæpe est maximum opprobrium.

Profectò, ex nullâ aliâ re majus recipimus damnum, medullisve proprius, quām a quibusdam effusè petulantibus, qui indole et animo empirici, medicinæ legitimos se esse filios in aures omnium assiduè, et quām altâ voce, proclaimant; chirurgi,—obstetrici,—prout res se habeat, vel etiam in medicinâ doctores, ad normam et regulam exacti, homines effrænatæ, inter alia, audaciæ, quam efficaciam solerter dicunt, in medicamentis, periculo non suo, præscribindis;—nec modum,—nec rationem,—nullum discrimin, nullam cogitationem, immò nullam etiam misericordiam in morbis tractandis adhibentes. Eiusmodi gens illa est, quæ, insperatis

et repentinis pecuniis sumptuosius insolentiisquam se jactitans, bilem in integrum nostrum ordinem adstantibus haud cessat commovere.

Quod nullus Lumleius e principibus reipublicæ viris ad sustentationem hujusce domus nostræ, hodierno die renascitur;—quod homœopathici, hydropathici, mesmerici,—quod empirici, quot et quales nullo tempore antehac, ex hydrâ genitrice etiam ad hunc Apollinis porticum convomuntur,—causa hujusce labis et contumeliæ nostræ in hos jactatores, violentos, conturbatores, quamvis ad normam et quoad nomen exactos, reverâ empiricos, a plurimis, per cogitationem, refertur;—ad eorum præter fas et solitum catharses, vomitiones, venesectiones, et in omni genere haustum, pulverum, misturarum, et pilularum beneficia.

Ex nimiâ in medendo diligentia, ex præter modum in medicaminibus abundantiâ, in remedium quod ad salutem valet, aut vix suppeditat, nausea! Præ atrocitate et odio diluvii fastiditur fons!

Profectò, sine doctrinâ parùm medicina valet. Obstetricus ille solers et popularis, eò quod inter quasdam summi loci mulieres, “non Apollinis magis verum atque ejus responsum” sit, non idcirco, in masculinis morbis dignoscendis et tractandis repente fit medicus. Attamen horum et hujusmodi medicina est præ omnibus dicax, audax, impudentissima, minimè excogitata, maximè sui profusa.

Quod ad chirurgos attinet, quanto purior est chirurgiae scaturigo, tanto magis præceps, turbidus, lutulentus, est medicinæ rivus. Doctrinâ planè medicina caret.

Ex hâc turbâ, ex hâc caligine quibus domus nostra regia, (anne unquam evasura?) jamdiu opprimitur, ad Harveium et Lumleium, quasi in lucem, redeamus. Date locum, hujusce ævi patroni, homœopathici, hydropathici, mercuriales, mesmerici! Inter hos duos, inter hunc nobilem et medicum illum, stirpis veteris illius Anglicæ et sinceræ propaginis, clientela non morum est vestrûm, non vestri est ingenii.

Ineptiæ, arrogantiæ, impudicitiæ, quibus artem nostram divinam jamdiu opprimitis et penè obruitis, hâc saltem adjuratione, (de sanguine nunc agitur) in tenebras actæ conquiescant!

Sanguis, sit nobis in memoriâ, Socii, sanguis, in quo ipso vivo et vitæ suæ conscientia omnis continetur,—sanguis, ab omni ævo immutatus,

immortalis, “humani generis sanguis cognatus et idem”,—fons iste et rivus perpetuus heroum, poetarum, philosophorum, ubique scatet indoles, natorum,—sanguis Ipsius Dei hanc terram visentis in cor et venas pro suo humaniter receptus, in hereditatem perpetuam nobis ab Harveio committitur, cogitatione, præ cæteris, gravi et vehementi, pro hominum salute et ad Dei gloriam excolendus.

Mihi de rebus nostris, ut par est, cogitanti, hoc sæpe in animum incidere solet. Quid si noster Harveius,—quid si nunc iterum inter nos, in hisce ædibus, ille vivus adstaret? Quid de hâc re diceret, quid de illâ? An laudi, ac vitio verteret?

Videor mihi videre dilectum illum senem hasce ædes quam avidis oculis perlustrantem! Soleo eum ante oculos ponere ex quovis obvio percontantem,—Quid mei? quid Collegium? quid Præses, Electi, Censores? Consiliarios nescio. Quid Socii? Quomodo, peste Asiaticâ ingruente et invadente, se gesserint? Quid de sanguine? An in morbis dignoscendis et tractandis apud medicos Londinenses vivit et valet?

Immò, prænobilis dux et auctor, quâcunque incedimus viâ, ad sanguinem, tanquam ad arcem pathologiæ et veræ medicinæ, ab omnibus quibus medicina re verâ cordi est, nunc denique est concursum. Immò, nunc primum, in ratione symptomatum instituendâ, medicinæ isti anatomico-pathologicæ, quæ “infelix operis summâ, quia totum ponere nescivit,” corporis partibus et particulis penitus implicita est, e sanguinis universi theoriâ, scientiæ universæ lux oboritur. Quòd in sanguinis studio, utpote vitæ materiem et sanam et morbidam præbentis, medici nostri, (perinde ac debeant) jampridem se occupant, en signa adsunt,—quam varia, et exquisita! quæ Garrodius doctor, et medicinæ professor, ob reverentiam in Harveii nomen, hoc festo die officiosè instruxit!¹ Ecce etiam, quod

¹ Uric acid and urate of soda from the blood of gouty patients. Traces of uric acid and urea from healthy human blood. Urea from blood in various diseases, as albuminuria, cholera, gout, etc. Fibrin from blood. Albumen from blood. Pure haematosin from blood, and its solution. Oxide of iron from blood. Microscopic specimen, showing the crystallization of uric acid on a hempen fibre in serum of blood from a gouty patient.

perrarum doctor noster ille "per æthera notus" Nix mihi in manus ad vestram delectationem nuperrimè tradidit.¹

Gratiæ fratribus nostris pro tantâ comitate suâ, et mei oratoris, et omnium hîc præsentium, ex animo agantur !

Quantâ admiratione, quantâ ingenii acie hisce novarum rerum formis per artem chemicam et microscopicam explicatis, Harveius noster, si nunc hîc adforet, inhiaret !—sed mitto—(heu ! præ temporis inopiâ), chemica, microscopicâ, ponderosa, et alia ad sanguinis compositionem pertinentia, quæ nobis quotidiano usu familiaria ab Harveio vix suspecta quidem, vel penitus ignota erant.

In sanguine vivo, dum integer sit, quanta vis insita ! quanti nisus formativi, quanta et quâm continua *ἐνέργεια* ad virium explicationem prompta ! O ! quanta nobis patefacta sunt, quæ illius temporis philosophia nondum insomniaverat. E sanguinis particulis, invicem in se agentibus, vis electrica, ut nuper patet, per universam corporis fabricam, immò in ipso fabricandi opere, continuè et universè gignitur, Lux ipsa, e radio in radium diversè inflexa,—vel, ut dicunt, "polarizata", non solùm de aliquo albumine præsente testatur, sed insuper, quænam sit albuminis ratio ex angulo radii deflexi et e spectro colorato indicat. Quædam medicamenta, injecta per arterias cruris, impotentiam musculorum infrà positorum,—quædam alia anæsthesiam,—alia iterùm impotentiam et anæsthesiam inducunt. Calor animalis e carbone oxygenato sanguinis per totum corpus nutritioni inservientis, ratione exactâ continuò et continuè evolvitur ; nam eadem est constantia nutritionis per sanguinem in corporis fabricâ ad aliquod temporis spatium agentis, ac aëris, gravitationis legibus subjecti, vel virium chemicarum et electricarum in naturâ rerum externâ. Prout in aëre, sic in sanguine, incrementa et decrementa nutritionis et scatent et latent. Porrò autem, quò calor et nutritiō corporis primordia sua instaurant, ibi, æquè ac nutritiō constans, motus ille sanguinis a pondere aëris et cordis contractionibus in circulum postea agendi, formis nascentibus simul ipse nascens oboritur. Quis dubitet

¹ Chloride of silver, of which the chlorine was recovered by Dr. Snow from the blood of an animal, killed by inhaling the vapour of chloroform.

quin, si Harveius medicinæ studiis nunc interfuisset, satiùs putaret sanguinem ipsum et ejus motus internos, quàm sanguinis cursum in venis, studio et experientiâ exquirere ?

Nec pudori sit mihi, etiam de me ipso loquenti, si honestè mihi gratulari possim, quòd, hujusce communitatis jamdiu socius, Harveio et sanguini in nullo tempore defui. In prælectionibus, annos abhinc viginti, de Materiâ Medicâ, et nuper in Lumleianis de Anatomîâ et Chirurgiâ, ad hanc sententiam, ad hæc ferè verba, Socios persæpe allocutus sum : “ A medico Harveiano, sanguis qui ei subjicitur, ad medicinæ praxin utiliorem exquirendam, non modò quoad singulis corporis partibus in circulo actus suppeditat, perspiciatur,—sed etiam per se, quasi organon, (vel potiùs ‘ panorganon ’) omnes sensus, omnes motus, omnes functiones omnium corporis partium, in se continens ; formativum,—electricum,—nervosum,—ex suis particulis, suis propriis viribus, contractilitatem, calorem, cuiusvis sensus facultatem in singulis organis generans ;—denique, per molem suam integrum suo modo vivens,—recipiens,—agens, et vel minimo temporis spatio plurima persentiens. Accipite nunc animis, Socii, sanguinis rivum universum, universo aëri in pulmonibus proximum, universæ corporis fabricæ, eādem mole, penitus continuum. Sanguis, vivus, continuus, ex his principiis constans,—et aëris et corporis fabricæ intermedium,—quid est, si non aér ipse, ad intimum nutritionis usum, inclusus, et commodus ! corporis internæ fabricæ atmosphæra, ut lubet dicere, alia et interior ?”

Sed ne in prælectionem de sanguinis usu et materiâ oratiuncula hæc, ad fastidium audientium, protrahatur, sine morâ cavendum est. Ah ! quàm vellem !—Sed de cæteris taceam ;—dummodo mihi fas sit perpaucis verbis, sed iis preces et gratias agentibus, iterùm coram vobis, Socii, donum illud cœleste extollere, ab Auctore cuiusvis boni ad solatium hominum divinitùs missum, cuius vis ætherea in nervos per sanguinem diffusa, dolori, utcunque atroci, in principiis obstare valet.

En, quod a viris nostris principibus et mulierculis otiosis, æquè ac manipulatio mesmerica dignum est ut in patrocinium et clientelam recipiatur,—a religiosis philosophiæ faventibus æquè pro miraculo habendum, et gratâ mente excolendum ! In nervis duplicibus ad sen-

tiendum propriis, quorum nutritioni sanguis ætheris vapore vel terchloridi Formyli suffusus per incrementa suppeditat, utcunque fuerint laniati vel aliter læsi, dolor vel quàm minimus gigni non potest !

Res planè mirabilis, res Dei ! et cui potest par oratio nulla inveniri.

Heu ! inter plerosque nostrum, quàm crasso ingenio, quàm sine religione, in manus, sed non in animam receptum. Indigni ! ingratii ! An egestas hujusce animi nostri Anglici, in summationem et titulos semper proclivis,—an angustiæ pectoris pathologici, particulis partium semper occupati,—an levitas ingenii medico-chirurgico-obstetrico-practici, haud, ut in tempore præterito, simplicis et concentrati, Deum in ipso opere præsentem non possunt perferre ?

Quid, si hoc munus anæsthesiæ, annos abhinc vix quatuor, hominibus mucroni chirurgico subjectis concessum, quid si humanis legibus in usum humanum nunc repente prohiberetur ? Quantus tum denique horror et luctus ! Quàm sæva indignatio ! Quæ misericordia puerorum, feminarum, infantium de novo sub chirurgi cultello luctantium ! Quantæ lacrymæ, cum gemitu, parentum et propinquorum circumstantium ! Tum denique pro beneficio dato si gratiæ non priùs actæ fuerint, ad donum recuperandum preces pro certo agerentur !

Non sic pius noster Harveius sanguinem, per ætheris vaporem, de dolore in nervis triumphantem in mentem suam ex oculis recepisset. Non ille, medicus, philosophus, poëta, hoc pro adoratione indicium, quasi *nebulam æstivam*, sine admiratione singulari prætermisisset. Ubi ! ubi ! est ea Religio Medici ? *αἰσθησις* illa artis suæ et ejus propositi, quæ his verbis exprimitur, “ Homines nunquam ad Deos propriis accedunt, quàm Dei naturam contemplando, et salutem hominibus dando.”

Ingenium medici, cùm sit in omni re ad facultatem agendi præcipuè excolendum, sit semper æstheticum. Id quàm multis et variis modis Harveius noster nos admonet ! Homo, si ullus, virilis ingenii, cuius scientia famæ æternitati suppeditat, homo principibus reipublicæ necessarius, qui scivit etiam regibus uti, quid nobis Sociis, hæredibus suis, jam nunc moriturus, præcipuè injungit ? Estote amantes ! estote amici ! Quis, magis quàm ille medicus octogenarius, compertum habuit, ut hæc quotidiana, laboriosa, nostra vita, inter mortuos, moribundos, animi et

corporis dolore miserrimè excruciatos, perpetuò acta, affectum lenium solamine perpetuò eget; ut, sine amore et amicitiâ, plane intolerabilis foret! Næ ille Harveius noster, præ omnibus, scivit et sensit, sine corde et sanguine nullam esse cerebri vitam. An majore sapientiâ, vel in longius ævum pro domûs nostræ honore et auctoritate, ab ullo prospectum esse potuisset?

Neque pro dubio sit, Socii, Harveium, cùm inter nos amorem et amicitiam quasi testamento suo præcepisset, non solùm doctores in medicinâ Londinenses, sed insuper medicos totius Angliæ regni, domi, foris, terrâ, marique, artem suam exercentes respexisse; illis enim temporibus Collegium hoc nostrum universæ medicinæ Anglicæ domicilium fuit. Harveius ipse, nonne per longos annos Anatomiae et Chirurgiae prælector fuit? Nonne constat, Socii, venerandum illum nostrum, cùm nos in festum suum annum convocaret, non cœnas illas tabernarias quorundam in concionabulum symbolis adscriptorum respexisse,—non prandia illa, fastidii, arrogantiæ, invidiæ plena, certatim fastuosa, ab uno in alterum, a singulis vice suâ expletâ, quasi pro debito et censu imposta;—non ista vana amoris et amicitiæ simulacra,—sed animi, voluntatis, propositi conjunctionem,—qualem ipse cum suis dilectis, Georgio Entio, et sociis aliis ejusmodi,—qualem cum fratribus suis, per tot et tanta rerum discrimina, de anno in annum servavit.

Catholicum istum amorem Harveianum erga uniuscujusque ordinis medicos non omnino in corde et venis hæredum ejus extinctum esse, indicio sit supplicatio hujusce Collegii nostri, tribus mensibus vix exactis, ad senatum, pro auxilio chirurgorum juniorum navalium ab iis qui imperant indignâ vitæ ratione et disciplinæ lege jam diu afflitorum, unâ voce decreta et ad curias utrasque relata. Pro futuro faustum sit omen!

Odia, simultates, objurgationes, etiam inter hujusce ordinis medicorum principes aliquando innasci, quis sanus et sincerus se nescire profitetur? Inter nosmetipsos Harveii vocem paternam nunquam non desiderari,—nunquam silere debere,—heu! nuperrimè et quam publicè patet! Crimina in socium falsa, conficta, a quibusdam nostris temerè credita, quāvis per se absurdâ,—epistolæ, aliquâ offensione

interpositâ, in medium prolatæ,—joca, inepta, in deteriorem partem accepta,—omnia hæc typis publicis commissa ad ludibrium etiam alumnorum puerorum perlegentium assiduè pervulgata sunt. In jus publicum ab auctoribus ipsis traditæ, et quasi præconibus ultrò subjectæ, protervitates illæ et omnes ejusmodi in hoc medicinæ Anglicæ foro publicè condemnentur, et, sine invidiâ, a communitate nostrâ repudientur.

Quid me respicitis, Socii, dum hæc invitus loquor? In hâc allocutione pro nihilo sum. Censor est Harveius;—non ego, qui ex rostro judicium ejus vicarius proclamo.

Quid diceret Harveius?—Ad hujus sententiæ normam, (licetne verbum recordari?) omne quod in proposito huic meæ orationi fuerit, redigere conatus sum. An melius possem? Noscite eum, perlegite eum, Socii. Dignus est, quem ex solertiâ, indulgentiâ, vitæ communis scientiâ, in quâvis rerum juncturâ consiliarium adhibeat;—cui amico, tutori, patri obtemperetis. Harveii vitam atque epistolas legenti, et de ejus ingenio, de mirabili ejus constantiâ cogitanti, hoc mihi quâm sæpè intercidit! *Εὖρηκα* tandem hominem! Contumeliis ab iis, quibus maximè sententia ejus immortalis serviebat, assiduè insectatus;—in clientelâ et in re pecuniariâ multùm ex eâdem causâ imminutus;—amentiæ etiam, quia totâ non errabat viâ, accusatus, nunquam vitæ innocentiam amisit, sed benevolentiam constantiæ suæ adæquari et pari passu incedere usque ad finem curavit. Principibus viris placuisse, jure morum, ingenii, doctrinæ, ei præ cæteris contigit; sed horum favor ultima ejus laus erat. Quâmvis parvolus, non parasitaster, nullis divitum liminibus vel coenaculis, ad clientelam intentus, insedit.

Regis archiater, philosophus evasit.

Ad risus aulicorum, ad blanditiæ muliercularum exquisitarum suscittandas nunquam se instruxit. Neque chirurgorum, neque obstetricorum, nec pharmacopolarum favori inserviit, quò ex alicujus subdoli vel ambitiosi amplitudine præsidia et adjumenta sibi conciliaret. Nempe Harveio, Anglo, medico, philosopho, servitus omnium malorum postremum erat.

Ex ineptiis, nummatione, arrogantiâ, servilitate, hujusce ævi nostri,

quām jucundum, quām utile,—immō etiam nobis medicis quām necessarium, aliquando se abstrahere et quasi renovare, mores et vitam alicujus viri Harveiani, vel, ut nunc, ipsius Harveii contemplando.

Ne non in viris temporis acti principibus eadem est ratio laudis falsæ ac veræ, eadem infrequentia singularis in singularibus virtutis. Profectò, veteris illius Angliæ fastos perlegentibus quām mirum nobis incidit, ut hæc patria nostra adhuc superstes manet !

Delirant reges, perfidi, truculenti,—furit plebs, rauca, varia, immanis. Inter imperatores,—magistratus,—sacerdotes,—senatores,—inter omnes officiis publicis fungentes, quanta fraus ! quæ insidiæ ! in amore sui, quæ pertinacia !—pietatis in Deum simulatio quām sordida ! Heu ! etiam quæ sævitia !—flagitia quām immania et varia !—quotuplex infamiae species !

Confer Harveium nostrum, philosophum, amicum, amantem, octogenarium,—omni officio vel civis vel medici perfunctum,—tranquillè vitam degentem, de die in diem omnibus suis cariorem,—e marmore, inter comparē suos, etiam manente spiritu, constitutum ; confer illum nostrum medicum, quāmvis nullo titulo, nedum equestris ordinis, insignitum, cum illo Verulamio prænibili, in omni doctrinæ genere præclaro, summi magistratūs officiis perfuncto, regi et principibus necessario,—imminente autem senio, abjecto, contempto, debilitato, conscientiâ suâ convicto, ignominias, quales nemini antea contigerant, ob flagitia sua, se meritum esse confitente. “ Homini homo,” philosopho philosophus, “ quid præstat !”

Respicite etiam illum alterum Harveio temporis consortem, Cokium Edvardum, summi ingenii causidicū, summā potestate judiciali præditum,—ejus avaritiam, inhumanitatem, sævitiam, servilitatem ; quibus quid acrius, tetrius, libero homine indignius dici vel excogitari potest ! Quæ causa est, Socii,—quomodo fit, cùm Harveii et horum duorum temporis ei consortium fama, quāmvis in diverso genere, sit summa et æqualis,—quòd inter medicum et causidicos tantum veræ laudis et existimationis apud posteros intersit.

Hi duo, et unus et alter, ambitione et cupiditate excordes erant. Ille noster, affectus lenes simul cum ingenio excolens, in omni quod

volebat, studebat, agebat, cordis et sanguinis humani rationem semper adhibuit.

Est, sit Deo laus, est adhuc quod redundat in gente nostrâ Harveiani ingenii, judicii, morum, et fidei,—quod mole suâ singulorum protervitates comprimit, pravas ambitiones adumbrat, rem publicam contra audaciam virorum ejus principum singularium defendit, et hanc Angliam nostram, qualis et quanta sit, efficit et conservat!

Depascatur animo, is cui curæ est virtutem Anglicam contemplari, Harveii vitam et mores, necnon illi temporum consortis Hampdeni, patriæ servatoris,—et nobilis illius Falklandi, ob horrorem belli civilis animam suam libenter effundentis.

Hæc enim est virorum indoles illa Anglicæ, integra, mera et vera, solo nostro indigena, constans, gravis, animosa, Wellingtoniana, ex quâ respublica nostra, inter gentium cæterarum damna et excidia, vires et incrementa capit. Hæc est ea inter nos vis opinionis publicæ, quæ potiùs ex multitudinis in omne paratæ inertia quâm ex ordinis vel principis cujusvis industriâ, conficitur.

Ex iis, quam multa! quibus nullum tempus suppeditaret, quæ de nostro dilecto adhuc dicenda restant, hoc saltem unum, Socii, si nullum præter hoc, accipite, quæso, verbum. Terræ hujusce Anglicæ, immò etiam Londinensis, solum, quod nos incedimus, consors temporis, loci, cœli, fortasse etiam sententiæ et colloquii, *ημιθεος* ille Shakespeare unâ cum Harveio per longos annos incessit. De motu cordis, de sanguinis circuitu sententiam, ab Harveio medico, arte, experientiâ, præceptis, doctrinâ, mox in omne ævum confirmandam, quot miris modis ille poëta dramaticus, naturâ ipsâ validus, et mentis viribus excitatus, et quasi divino quodam spiritu inflatus, ut ex imo corde et a sanguine ipso audientium sentiretur, expressit, et ante ora hominum ex scenâ per actionem præfiguravit!

Nec lateat vos, Præses et Socii, in annum proximum prospicientes, quòd in hanc arcem gentium, in hoc domicilium clarissimi imperii Britannici, ex omnibus terræ regionibus homines longinqui et alienigenæ ad festum solenne artium et scientiæ celebrandum jam diu accersiti fuerint,—immò, se et sua jamdudum ad iter accingi.

Laus et honor Principi illi generoso et illustrissimo, cui primo in mentem venit, ut familiam gentis gnavae et industriæ universam per totum terræ orbem dispersam, pro unâ saltem vice, Britannia mater familias in hanc domum suam communem fraternè convenire juberet. “Felices certè artes, cùm virorum in republicâ principum ingeniis excoluntur !”

Hasce ædes nostras, hanc domum Harveii, advenæ isti medici certè visuri, sive Gallici, sive Germanici, e Columbiâ trans æquor Atlanticum Anglo-Germanici, sive ab oris Russicis Sclavonici,—liberi, servi, sive libertini, Collegium hoc nostrum medicorum Londinensium, neque urbe Londinensi, neque imperio Britannico indignum esse libenter fateantur ! Divitiæ pathologicæ, a Bailliao apud nos repositæ,—picturæ, busta, supellex omnis,—tabellæ istæ præsertim anatomicæ ab Harveio ipso, Paduæ, ut dicunt, elaboratæ, et nuper a nostro Sedgwickio partim restitutæ,—omnia sint in promptu, et ad lustrandum parata. An dubium est, quin hic ordo noster in urbe Londinensi medicinæ doctorum, se in occursum hospitum, fratribus et sodalium, sedulò accingere debeat ? Solertes, artis medicæ dignitati intentos, amicos præsertim inter nosmetipsos et amantes, advenæ medici nos ultrò agnoscant. Pro cognitione et hospitio, quibus conveniat, in epulas solennes vocentur,—immò etiam quidem, ob ætatem, experientiam, et mores eximii in hanc societatem nostram pro honore recipientur.

An decet ? Nonne constat ? Ah ! desine, qui veræ laudis amantes nos sic lactares, et falsâ spe produceres ! Cùm tantis injuriis, tam crebris repulsis, tam usitatâ neglectione ab iis qui imperium exercent in foro imminuimus,—cùm pro vitâ nostrâ etiam adversus nostros de die in diem dimicandum est,—anne in officia humana et liberalia, honoris erga exteris causâ, hoc proximo anno vacare poterimus ?

Præterea, vectigalia desunt. Etiam ad festum hoc hodierno die ab Harveio inter socios præscriptum, non suppetit res. Laus et honor impransis ! Teneatis risum ! honesta est paupertas ! In ratione morbi Asiatici, pro salute communi, exquirendâ, omne quod nostri in promptu erat jamdudum est impensum ! In seria, in rem veram, redeamus !

Ut de summâ Collegii hujusce nostri, ut de salute et vitæ ratione

omnium nostrūm in his diebus agitur, quis, re verā medicus, se inscium profiteri potest? Fides, reverentia, auctoritas, existimatio, medicinæ haud, ut antea, incedunt comites. Eruditio, artium liberalium amor et studium, literarum decor ille sine pretio æstimandus, inter praticos et nummatos pro nihilo habentur. Caremus foro, caremus curiâ, caremus publico. Publico carentes, nulli et nuspianam sumus! Nimiùm, nimiùm diu, Socii, aciem auctoritatis nostræ hebescere nos patimur.

Quare quasi ex somno nos invicem excutiamus, et expergefacti pro videamus, “ne longius populo, fratribus, nobismet ipsis deesse videamur, ne præ ignaviâ et socordiâ diutiùs circumspectantes omnia, quidquid increpuisset pertimescentes, diffidentes nostris rebus, sine voce, sine libertate, sine auctoritate, aliquando abjecti, contempti a cæteris, a nobismet ipsis desperati et relicti fuerimus.”

Ut in religione, sic in Medicinâ, quæ duæ in omnibus sæculis habent commune quoddam vinculum, et quasi cognatione quâdam inter se continentur;—ut in rebus sacris, sic in rebus medicis, expperfecta tandem virtus illa antiqua Anglicæ in pristinam auctoritatem suam se suo jure vindicet.

Contra has violentias, contumelias, repulsas, quibus noster ordo jamdiù affligitur, quæ vires opponendæ, quibus armis contendendum? Auctoritatem nostram ad potestatem pristinam recuperandam privilegiis et judiciis in futurum amplificandam esse, nemo sibi in propositum adsciscatur. Neque diplomata passim in provincias mittendo, nec pocula, collatis auctoribus, medicinæ forensis præmium, e testamento medici insani porcini adjudicando;—nec diplomi nostri ad licentiam in urbe practicandi concessso titulum in medicinâ doctoratûs supponendo;—neque chirurgos in nostra consilia de rebus nostris propriis accersendo, —(eos chirurgos *haud impuros* respicio, nostræ conditionis æmulos, atqui nostram medicinam *haud pure* agentes;)—neque quartum id genus, mistum, varium, turbulentum sollicitando;—nullis ejusmodi rationibus nobis ad salutem via reperienda est. Ad defendendum omne quod ab Harveio et aliis nostrūm benefactoribus tantâ gloriâ recepi- mus (quod non tueri et conservare posse esset turpissimum,) semper nobis persuasum sit, Collegium hoc nostrum ad morbos curandos, ad

hoc opus, diplomate regio institutum fuisse ;—ad hanc salutis publicæ glebam in perpetuum lege publicâ nos esse adscriptos ;—porrò etiam sit semper nobis in præsenti, nostram hanc communitatem medicorum Londinensium omnes alios medicos, omnes ejusdem facultatis homines virtute suâ in se continere.

Medicinam operosè et in foro agere,—ducere potius quâm sequi, quâcunque incedimus ad medicinæ disciplinam viâ,—hæc sunt juris nostri et officii ; his prætermisis, tabescimus et perdimur.

Quinetiam benevolentia et caritate civium universorum, ad bene et viriliter agendum, nos septos esse oportet ;—neque id nos celari, quod non minùs opinione famæ quâm aliquâ certâ ratione, in re medicâ vulgus commovetur ; quod non in tabellis paucorum judicum, sed in sententiis omnium civium fama nostra et fortuna repositæ pendent.

Talia cogitanti, et ex hisce cogitationibus in annum proximum prospicienti, quanta, et quâm subita, mihi lux oboritur !

Diploma regium, de novo nobis concessum, en domi tandem recipimus !

Quæ hæc est turba comitantium ? Pateant portæ !—In limine sit Præses !—Assurgite Socii !—Victoria ipsa ingreditur fores !

Salve Regina !—Regina nostra, ter, terque ter, atque iterum, salve !

Dilapsa hæc domus nostra, et sine te caduca, te receptâ, in fortunam recipitur suam !

Collegii nostri, diplomate regio (faustè sit dictum !) jam tandem post longa æva renovandi, et fructus suos in salutem publicam de novo reddituri, ad quem primitias deferre præstat, quâm ad illum, qui, amoris et consilii particeps, amore et consilio imperii consors, quotidianis precibus, parens et maritus, in thalamo regio instauratur ;—ad illum Albertum, quem inter nostros, præ cæteris, Princepem omnes libenter agnoscimus.

Accede, Princeps, ad dexteram Præsidis nostri, in sellam, honoris et gratiæ causâ, tibi soli præpositam. Comitiis nostris, socius inter socios, civis inter cives saluti publicæ consulentes, prout libeat, subinde intersis ;—institutis nostris si qua bona fuerint, in auxilium venias,—concionibus ob beneficia recepta solenniter, ut nunc, habitis, auctoritatem regiam impertiri ne fastidias.

Eorum, qui, diplomatis regii Tudorii jure, pro Harveio nostro oratores extiterunt, alter et ultimus ego Wilsonus, ad subsellia e rostro jam descensurus, fausta omnia, pro hâc vice cordis et sententiae uniuscujusque Socii interpres, in Collegium nostrum haud irreverenter, et quasi flexis genibus imprecor.

Sit domus hæc nostra, cùm universis publica, tum singulis ut sua ! Domus dominam scientiam lenitas et indulgentia morum ancillæ comitentur ! Scientia sit vera, severa, fervida, constans, operosa, studiis humanioribus haud arroganter, sed penitus imbuta !

“Instituti rebus optimis non poetarum voce commoveamur !” Hæc studia enim medici Harveyani “adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.”

In nostrâ republicâ, quod verum est, sit pro re,—pro imperio, religio veri,—pro lege supremâ, populi salus ! Sit unitas in communitate,—in communitate unitas !

Ad hæc tuenda et conservanda sit nullum inter nos jusjurandum !—si illum, in verba hæc ; “Experientia!—Amor!—Amicitia!” verba ipsius Harveyi,—verba omnium ætatum, temporum, locorum !—Leges, mores, etiam diplomata regia, humana omnia mutantur. Amor et amicitia a Deo sunt, et manent.

Veniam date !



